Evangeliſtarum dicta hic annotavi, quivis facile deprehendet. Habet enim veritas, ut omnis, ita etiam exegetica, id proprii, ut quælibet ejusdem membra tenaciſſime cohæreant, &, ſi unam partem penitius inſpexeris, de cæteris felix feras judicium. Huic meo propoſito ut DEUS Pater cum Servatore meo & Spiritu S. annuat, iterum iterumque & repetita vice oro atque obteſtor. Antequam ergo me ipſi operi accingam, ſuppono, inter Criteria libri canonici, h. e. regulæ fidei & morum exactiſſimæ, poni & illud, quod allegetur in N. Teſtamento. *Jam vero hoc ipſum eunt inficias Romanenſes, cauſati, libros Apocryphos itidem ibidem allegari. Contendunt enim inter alia bene multa, Paulum allegaſſe pene ipſiſſima Libri Sapientiæ verba Rom. XI. 34.* Quis novit ſenſum Domini, aut quis Conſiliarius ejusdem fuit? *quæ mutuo accepta videntur ex Sap. IX, 13.* Quis hominum poterit ſcire conſilium DEI, aut, quis poterit cogitare, quid velit DEUS? *quaſi vero non magis retroſpexiſſe cenſendus ſit Apoſtolus ad Eſ. XL, 13.* Quis erudivit Spiritum Domini, aut, quis Conſiliarius ejus fuit, aut inſtruxit eum? *Præſtabat igitur hic ſcrutari oraculum Propheticum, quam dictum apocryphum. Objectant inſuper locum Hebr. I, 8. ubi Filius DEI dicitur* Splendor gloriæ Patris, & character ſubſtantiæ ejus; *quod accerſitum exiſtimant ex Sap. VII, 26.* Ἀπάυγασμα γάρ ἐϛι φωτὸς ἀϊδίου, καὶ ἔϛοπτρον ἀκηλίδωτον τῆς τοῦ Θεοῦ ἐνεργείας, καὶ εἰκὼν τῆς ἀγαθότητος αὐτοῦ. *Enimvero arbitrium eſto penes cordatum Lectorem, num hæc apocrypha cum canonicis illis coincidant, numve Paulus aſſerat, ſeſe vocem ἀπάυγασμα ex libro illo apocrypho transſumpſiſſe? Ab uno certe vocabulo male proceditur ad plura, & a termino ſimplici ad compoſitionem aut diviſionem. A prima mentis operatione ad ſecundam perperam argumenta capeſſuntur. Sic ergo fallunt ſine dubio, & fallere cupiunt. Allegatio enim ipſa ſola utique rem non conficit; cum etiam Poëtæ gentium profanarum in teſtimonium ſint adhibiti; ſed tunc demum Canonica veritas emergit, ſi omnia cætera criteria conſpirent, & in librum, quem dicimus, Canonicum, accidant. Deinde, quod paradigmatice jamdum innuere viſum eſt, merito regerunt Noſtrorum Scholæ, has allegationes potius ex libris Canonicis, quam Apocryphis venire accerſendas.*

Sit